

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849,
enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

299

297

303

293

308

288

348

248

398

198

Ende

Anfang

imprimatur, marinas compescat mitigetque tempestates. Sunt etiam duae spinae de corona Domini nostri Jesu Christi, quarum altera quidem in castro, altera vero in ecclesia S. Johannis honosifice conservatur, narratumque nobis pro certo fuit, quod una earum, scilicet quae est in castro, per singulos annos in die parasseves florem producere aperte et manifeste videatur. Ibi etiam illorum XXX argenteorum unus esse perhibetur, imo et demonstratur, pro quibus Christum vendidit Judas Judaeis, et de quibus emerunt Judaei agrum Akeldama in sepulturam peregrinorum, de quo habetur Matthaei XXVI. Qualis formae sit argenteus ille in Rhodo, vide Parte I. fol. 163. Ibi etiam est caput S. Philomelae virginis et portio non parva de ligno sanctae crucis et brachium S. Georgii martyris et brachium Blasii; brachium etiam S. Stephani protomartyris; brachium S. Thomae apostoli; brachium S. Leodegarii episcopi; caput S. Euphemiae virginis et martyris; caput S. Polycarpi episcopi; caput unius ex undecim millibus virginum; manus S. Clarae virginis et manus S. Annae, matris virginis Mariae; sinistrum brachium cum manu (B) inclitae virginis S. Catharinae, quod nonnisi in ejus festo demonstratur in castro in capella domini Colossensis. Sed et monachi S. Catharinae reconditam sinistram manum in tumulo virginis peregrinis ostendunt, ut supra patet fol. 40. Cui credendum sit dijudicet vir prudens. Ostensis autem omnibus praefatis reliquiis ultimo loco pretiosiorem thesaurum producunt cum multo honore et reverentia, sanctissimi precursoris Domini, Johannis baptistae brachium dextrum cum manu extento digito, quo demonstraverat mundo ad oculum filium Dei dicens: ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, ecce, de quo dicebam vobis: qui post me venit, ante me factus est, cuius non sum dignus corrigiam calceamenti solvere; ecce, hic est filius Dei, Johannis primo.

In hoc beatissimus Johannes baptista omnibus prophetis antefertur, unde de ipso canitur: Caeteri tantum cecinere vatem corde praesago; jubar affuturum tu quidem mundi scelus auferentem indice prodis.

Quomodo autem hoc sanctissimum brachium Rhodum delatum sit, breviter dicam. Scimus ex lectione evangelica, Johannem baptistam ab Herode Antipa fore decollatum propter Herodiadem, quae accipiens caput saccis cilicinis involvit et juxta Herodis palatum

